



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Margarita Evangelica

Essche, Nicolas van

Coloniae, 1545

De fiducia in Deum. 26

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49323)

LIBER I.

ras cum quinque sigillis .i. cum quinque sacratissimis vulneribus eius, & cum septem signaculis, septem videlicet sacramentis. Noli ergo, o anima mea, negligere nobilissimum cibum istum, ne arefiat cor tuum, & ne sic deficias, ut in via virtutum minime progredi possis. Custodi thesaurum hunc & refrena sensus tuos, ne ociose & indisciplina te euagentur. Sic namque faciendo iugiter intra te interius Dei sabbatum conseruare valebis.

De firma fiducia in Deum, quæ ex fide nascitur.

Cap. XXVI.

Quam beata est anima illa, quæ sperat in domino, quoniam ipse adiutor & protector illius est. Dicere enim ex sententia potest, quæcumque talis est anima: Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo? Et illud: Non timebo mala, quoniam tu mecum es domine. Itemque: Quoniam abscondit me in tabernaculo suo, in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui. Et rursus cum Propheta: In velamento alarum tuarum exultabo, adhæsit anima mea post te, me suscepit dextera tua. Ipsi vero in vanum quæsierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ. O quam vere beata est anima, quæ de seipsa non præsumit, sed omnem fiduciam atque spem suam in Deo constituit, in meritis videlicet amarissimæ passionis suæ. Hinc ipse dominus ait: Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Et: Qui fiduciam habet mei, hæreditabit terram, & possidebit montem sanctum meum. Et alibi; Sedebit populus meus in pulchritudine

E iij dine

MARGARITAE EVANG.

dine pacis, in tabernaculis fidutiæ, in requie opulenta. In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis, de manu mortis eruam eos. ¶ Gloriare ergo, o anima mea, non in sapientia, non in fortitudine, non in diuitijs, sed in hoc, quia scis & nosti dominum Deum tuum in intimo tui ipsius, & in intimo spiritus tui. Deum (inquam) qui est tam nobilissimū bonum, & inhabitator ac fidelissimus defensor tuus, qui trahit & confortat te ad cunctarum exercitium virtutum, transfradans & instruens interiora tua, teque totā largissime permanans, & nimis amoroſe amplexans ac que gubernans. Equidem si, o homo, cum omnibus intimis cogitationibus, desiderijs & intentionibus tuis ad ipsum conuersus fueris, inuenies thesaurum hunc in agro animæ tuæ, & regnum Dei intra te manifestabitur, gustabisque felicem beatitudinē, quæ tibi mundum faciet amare scire vniuersum. ¶ Dulce quidem est, ait Gregorius, esse in rebus humanis, sed ei, qui adhuc de cœlestibus gaudia nulla gustauit. Porro, si quis iam cordis ore gustauerit, quæ sit illa dulcedo cœlestium præmiorum, huic quanto dulce sit, quod intus videt, tanto in amaritudinem vertitur omnem, quod foris sustinet. Itemque: Nequaquam rerum temporalium oblectamenta contemnimus, nisi mens per contemplationem Dei in amore virtutum & cœlestiū pulchritudine delectetur. Et sanctus Bernardus: Quæ enim (inquit) anima semel a domino didicit & accepit intrare ad se ipsam, et in intimis suis Dei præsentiam suspirare, & quærere faciē eius semper, talis, inquā, anima nescio an vel ipsam gehennā ad tēpus experiri horribilius pœnaliusve ducat, quam post spiri-
 cualis

LIBER I.

tualis studij huius gustatam semel suauitatem
exire denuo ad illecebras, vel potius ad molesti-
as carnis, sensuumque inexplebilem repetere cu-
riositatem. Et paulo post: Audi hominem exper-
tum, quæ loquimur. Bonus es domine (inquit)
sperantibus in te, anima quærenti te. Ab hoc bo-
no si quis auertere sanctam illam animam co-
naretur, puto haud secus acciperet, quam si de pa-
radiso & ab ipso introitu gloriæ se conspiceret
deturbari. Hæc ille. Ea igitur causa est, cur adhuc
nobis sapiat mundus iste, et cur nobis ipsis ad-
huc non moriamur, quia videlicet Deum pure
non quærimus, nec ei adhæremus. Hinc per Pro-
phetam suum dominus ait: Quæretis me & inue-
nietis, cum quæseritis me in toto corde vestro,
& inueniar a vobis. Et per alium: Quærite De-
um & viuet anima vestra. Conuertimini ad me
& conuertar ad vos. Conuertimini ad me & sal-
ui eritis. Inclinate aurem vestram & venite ad
me. Audite & viuet anima vestra, et feriam vo-
biscum pactum sempiternum, misericordias Da-
uid fideles.

Quomodo anima per spem introducatur.
Cap. XXVII.

NVe igitur, o anima mea, quære domi-
num semper, vt introduci merearis in e-
ius cellam vinariam, dicasque cum spõ-
sa: Introduxit me rex in cellam vinariam, ordina-
uit in me charitatem. Donatur autem animæ cha-
ritas ista in intimo ipsius, tunc videlicet, quan-
do per merita Christi introducitur, & vnus cum
Deo spiritus in essentia simplicitate efficitur, at-
que feliciter in diuina essentia absorbetur. Tunc

E v nanq;